



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

**Parisiis, 1644**

XXIX. Ne quid exigatur pro sepultura vel aliquo sacramento conferendo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15974**

XXVI.

Item prouideant archidiaconi de possessionibus ecclesiarum, vt eas singulis annis possint \* prospicere, ne ecclesiæ suo iure defraudentur.

XXVII.

Præterea archidiaconis, decanis, & eorum officialibus districtius inhibemus, ne in subditos suos exactiones vel tallias per se vel per suos exercere præsumant.

XXVIII.

Adhæc ecclesiastici ordinis vtilitate pensata, pariter & honore, decreuimus ne archidiaconi vel eorum officiales sententias excommunicationis, suspensionis, vel interdicti in aliquem audeant promulgare, vbi excessus non est manifestus, nisi admonitione canonica præcedente. Si quis autem contra præmissa excommunicationis sententiam tulerit in quemcumque, pœnæ subiaceat in Lateranensi Concilio promulgatae. Pro suspensione vero vel interdicto superioris arbitrio puniatur: quod & superiores prælati obseruent.

XXIX.

Firmiter inhibemus, ne pro aliqua pecunia de-  
negetur sepultura, vel baptismus, vel aliquod ecclesiasticum sacramentum, vel etiam matrimonium contrahendum impediatur. Quoniam si quid pia deuotione fidelium consueuerit erogari, super hac postmodum volumus per ordinarium loci ecclesiæ iustitiam exhiberi, sicut in generali Concilio expressius & diffusius est statutum, absurdum esse iudicantes, quod de cetero pro chrismate vel

HONORIVS  
P. III. OXONIENSE. FRIDERICVS II. IMP.  
HENRICVS III. R. ANGLIAE. 253

ANNO  
CHRISTI  
1222. oleo aliquid exigatur, cum toties hoc prohibitum  
esse reperiatur.

XXX.

Ceterum districtius duximus inhibendum, ne  
archidiaconi vel decani bonum pacis impediri fa-  
ciant: & si aliquando discordantes adinuicem vo-  
luerint concordare, licentia petita, liceat partibus  
aliter per compositionem discedere quandocum-  
que voluerint, si tamen causa compositionem ad-  
mittat: nec propter hoc aliquam pœnam eis inflig-  
ant, nisi eis constiterit de iniustitia actoris vel rei.  
Sed nec aliquem ad suggestionem præconum suo-  
rum ad purgationem compellant, nisi apud bonos  
& graues fuerit primo infamatus.

XXXI.

Nec in causa sua præsumant pariter esse iudices  
& actores, videlicet cum dubium venerit vtrum  
quid ab eis exigere debeatur.

XXXII.

Vt clericalis ordinis honor debitus seruetur,  
auctoritate præsentis Conciliū decernimus, vt tam  
archidiaconi quam decani, & omnes alii in perso-  
natibus & dignitatibus constituti, & omnes decani  
rurales & presbyteri decenter in habitu  
clericali, & cappis clausis vtantur. Idemque obser-  
uent officiales episcoporum & archidiaconorum,  
dum fuerint in consistorio.

XXXIII.

Et nec ipsi nec alii clerici comam nutrient, sed  
honeste tonsi & coronati incedant, nisi forte iu-  
sta causa exegerit habitum transformare. A crapula

Ii ij